

421. *Ampla potestas absolvendi in ordine minorum.* — Resp. II. « Ex Apostolica concessione possunt generales, et provinciales, eorumque vicarii, et custodes in suis custodiis fratres sibi commissos, vel eos undequaque declinantes, ab omnibus casibus, in quos inciderint, sive ante, sive post ingressum ordines, etiam Sedi Apostolicæ reservatis (hæreticis, relapsis, schismaticis, litterarum apostolicarum falsificatoribus, ad partes infidelium prohibita deferentibus, bigamis, et homicidiis voluntariis exceptis) absolvere, ac etiam in quibusvis sententiis excommunicationis, suspensionis, et interdicti a jure, vel ab homine generaliter promulgatis: ac etiam dispensare in irregularitatibus propter dictas sententias, aut ob celebrationem divinorum in locis interdicto ecclesiastico suppositis, vel ob susceptionem ordinum cum prædictis censuris contractis, et ab iisdem casibus a propriis, quos sibi elegerint, confessariis dispensari. »

422. Ita verbatim sonant statuta nostra generalia novissime recognita, a Sede Apostolica confirmata, et a reformata provincia Baviaræ acceptata cap. VII, § 4, fol. 117, quæ eadem refert ac probat P. Angelus Lantusca, in *Theatro regularium*, §. *Absolvo*, n. 5, citans summos Pontifices, qui hanc amplissimam absolvendi potestatem ordini concesserunt. Quia igitur de legibus jam institutis non est judicandum, sed secundum ipsas vivendum, arg. c. *In istis*, dist. 4, nunc determinationi statutorum generalium omnino insistendum censeo. Quibus sic stantibus:

423. *Regulares ab episcopo solam approbationem, a Papa vero jurisdictionem absolvendi habent.* — Queritur II. An, et qualem potestatem absolvendi sæculares ab hæresi, vel aliis casibus Papæ, vel episcopo reservatis habeant regulares tam subditi, quam superiores? Ante responsionem notandum primo cum communi, jurisdictionem absolvendi sæculares exempli non accipiant ab episcopo approbante, sed supposita approbatione episcopi localis, et consensu proprii superioris regularis, eam concessam habeant a Sede Apostolica, prout desumitur ex Clem. *Dudum*, § *Statuimus de Sepulturis*. Hinc Fagnanus, in c. *Omnis*, de *Pœnitent. et remis.* n. 79, sic ait: « Jam Sacra Congregatio concilii declaravit, regulares intra diocesin episcopi approbantis posse etiam audire pœnitentem alterius diocesis; cum

habeant jurisdictionem a Papa, » ex Clem. *Dudum*, de *Sepulturis*, et notat Glossa. in c. 2, de *Pœnitent. et remis.* in 6, § *Item tertio*, etc. ibi: « Mendicantes vero sunt delegati a Sede Apostolica. » Aliam rationem addit Layman, lib. V, tract. VI, cap. x, n. 19, quia videlicet episcopus tam amplam jurisdictionem audiendi confessiones omnium fidelium undequaque venientium, eosque a censuris etiam reservatis absolvendi dare non potest: sed eam confessarii mendicantium a Summo Pontifice, cum dependentia a consensu sui prælati, et approbatione episcopi accipiunt.

424. *Episcoporum reservatio principaliter afficit personam confessarii.* — Notandum secundo cum citato Fagnano, n. 78, et seqq. ac aliis communiter, quod quando episcopi, alique locorum ordinarii certos casus sibi reservant juxta concilium Tridentinum, sess. 14, cap. VII, talis actus reservationis principaliter ac directe afficiat personam confessarii arctando ejus jurisdictionem; licet etiam indirecte obstet pœnitentibus, eo quod a tali sacerdote ob defectum jurisdictionis absolvi non possint. Et hoc patet primo ex cit. concilio Trident. ibi: « Extra quem articulum mortis cum sacerdotes nihil possint in casibus reservatis. » Concordat Clem. *Dudum*, § *Per hujusmodi*, de *Sepulturis*. et Extravag. *Inter cunctas*, § *Sicque de Privilegiis*, ibi: « Sicque de casibus reservatis se nullatenus intromittant. » Patet enim, quod hac loquendi formula confessariorum jurisdictio restringatur, sicque reservatio casuum ipsos principaliter et directe afficiat. Ex quo recte:

425. *Et ideo possunt regulares absolvere alienum diocesanum a casibus in illius diocesi reservatis episcopo.* — Inferitur a Fagnano, loc. cit. n. 78, et seqq. quod regulares in aliqua diocesi ad audiendas confessiones ab episcopo approbati sine facultate absolvendi a casibus reservatis, possint absolvere pœnitentes et aliena diocesi confluentes a casibus in diocesi pœnitentis reservatis, non autem in qua confessiones audiunt. Tum quia reservatio casuum afficit confessarium, limitando ejus jurisdictionem: non potest autem episcopus limitare jurisdictionem regularis extra suam diocesin existentis, tum quia actus reservationis est localis, et restrictus ad suam cujusque episcopi diocesin, ut desumitur ex concilio Trident. loc. cit. ibi: « Nec dubitandum est,

quit hoc idem episcopis omnibus in sua cujque diocesi liceat. » Tum etiam, quia non tenentur regulares confessarii habere notitiam casuum reservatorum in aliena diocesi. His notatis,

426. *Debent regulares cavere propositiones circa absolutionem damnatas.* — Resp. I. Quoad potestatem Regularium absolvendi sæculares, esse imprimis cavendas quasdam propositiones novissime damnatas. Prima sic sonat: Prælati regulares possunt in foro conscientie absolvere quoscunque sæculares ab hæresi occulta, et ab excommunicatione per eam. Secunda est: Mendicantes possunt absolvere a casibus episcopis reservatis, non obstante ad id episcoporum facultate. Tertia est: Satisfacit præcepto annuæ confessionis qui confitetur regulari episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato. Et hæ tres propositiones una cum pluribus aliis, ut minimum tanquam scandalosæ, sunt damnatæ ab Alexandro VII, non obstante, quod ultima earum olim fuerit fundata in jure canonico, nempe in Clem. *Dudum*, § *Si vero*, de *Sepulturis*.

427. *Nullus regularis potest sæcularem absolvere ab aliquo casu Bullæ Cœnæ.* — Resp. II. Nullus regularis, quantumvis privilegiatus, sive superior, sive subditus habet potestatem absolvendi sæculares ab aliquo casu Bullæ Cœnæ. Communis, et certa, ob clausulam omnium privilegiorum plenissime derogatoriam Bullæ Cœnæ insertam § 24, cujus verba lege supra num. 323.

428. *Nisi talis personaliter accedere Papam sit impeditus.* — Limitant aliqui conclusionem in sæcularibus personaliter Pontificem adire impeditis: utpote quos a quolibet, consequenter etiam a regulari confessario uti in articulo mortis absolvi posse, docent juxta dicta supra num. 395.

429. *Nec a casibus episcopo reservatis absolvere possunt regulares.* — Resp. III. Nullus regularis potest absolvere sæcularem a casibus reservatis episcopo illius loci, in quo talis regularis existit. Rursus communis, et certa, quia contraria opinio est damnata, juxta dicta num. 426. Dicitur tamen notanter, episcopo loci, in quo talis regularis existit, ob dicta num. 425.

430. *De potestate absolvendi. Remissive.* — Resp. IV. Confessarii ordinum mendicantium rite approbati habent generalissimam facultatem super omnes casus et censuras Papæ reservatas, exceptis iis, qui continen-

tur in Bulla Cœnæ Domini; quibus adde casus episcopis reservatos, ob proxime relatam propositionem damnatam. Ita Herinx, loc. cit., quæst. 2. Sannig, alique communiter. Patet hoc ex variis concessionibus summorum Pontificum, quas videre est in *Compendio privileg.*, §. *Absolutio quoad Sæculares*. Tum etiam ex concessione Pauli III, facta confessariis Societatis Jesu, et consequenter aliorum Ordinum habentium communicationem privilegiorum. Et quidem

Verba Pauli III in Bulla. Cum inter cuncta, sunt valde notanda, et sic sonant: Concedimus quorumcunque utriusque sexus Christi fidelium ad eos accedentium confessiones audiendi, et confessionibus diligenter auditis, ipsos et eorum singulos ab omnibus et singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus et dilectis, quantumcunque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, et a quibuscunque ex ipsis casibus resultantibus sententiis et censuris et pœnis ecclesiasticis, exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini solita est legi, absolvendi, ac eis pro commissis pœnitentiam salutarem injungendi, plenam ac liberam facultatem. Hactenus citata Bulla.

Plura de potestate absolvendi competente regularibus vide apud moralistas, et auctores de regularibus scribentes, uti Roderiquez, Miranda, Lezana, Portel, ac etiam Herinx de *Sacramento Pœnitent.*, quæst. 3, disp. 7, et alios.

§ X.

DE JUDICE CRIMINIS HÆRESEOS.

431. *In causa hæresis nullus laicus, sed solus ecclesiasticus potest esse judex.* — Queritur I. Quis sit, vel esse possit judex criminis hæreseos? Resp. I. Nullus sæcularis, seu laicus, sed solus ecclesiasticus esse potest judex in causa hæresis, sive incidentaliter, et principaliter, sive sola etiam sit quæstio facti de illa. Farinacius, de *Hæresi*, q. 186, a num. 152. Pirhing, h. t. num. 126, *Del Bene de Immunit. et jurisdict. eccles.*, cap. XVI, dub. 22, num. 12. Barb., in c. *Ut inquisitionis*, h. t. in 6, num. 7, cum Glossa communiter recepta in cit. c. §. *Prohibemus*. Estque hodie certa ob clara jura c. *Ut inquisitionis*, 8, § *Prohibemus*, h. t. in 6, ibi: Prohibemus quoque districtius, potestatibus, dominis temporalibus, et rectoribus eorum-

demque officialibus supradictis, ne ipsi de hoc crimine (cum sit mere) ecclesiasticum quoquo modo cognoscant, vel judicent. Ratio assignatur in citato textu, videlicet, quia hoc crimen est mere ecclesiasticum; de ecclesiasticis autem sola iudicat potestas ecclesiastica, c. *Decernimus 2, de Judiciis*, ibi: Decernimus, ut laici ecclesiastica tractare negotia non præsument, sed episcopi, et alii Ecclesiarum prælati, etc. Nec propter eorum (laicorum) prohibitionem, ecclesiasticam dimittant jurisdictionem exercere. Concordant c. *Quanto 3, eod.*, et c. *Si Judex 12, de sentent. Excommun.* in 6.

432. *Etiamsi sola quæstio facti sit.* — Dicitur notanter sive sola sit quæstio facti de illa, cum quæstio facti de hæresi a quæstione juris vix possit separari; quia si quis ob verba vel signa externa hæresis arguitur, necessario investigandum erit, ac scienter, vel ignoranter, an ex joco et simplicitate, vel serio et ex malitia, an relative vel ex propria mente, verbo? an talia sint, quæ ad hæresin, et poenas contra illam a sacrosanctis canonibus statutas exiguntur, quæ utpote quæstionem juris in hac causa concernentia, non nisi a iudice ecclesiastico cognosci valent, ut bene advertit Petrus Barbosa, in I. *Titia, 34, ff. Solutio matrím.*, num. 37.

433. *Jus civile contrarium statuens circa hoc fuit correctum a jure canonico.* — Nec obstat, quod in jure civili expresse statutum inveniatur hæreticos saltem laicos in causa hæresis iudicari et condemnari posse, arg. lib. I, § 1. C. *de Summa Trinitat.*, l. *Quicumque*, 8, § fin. C. h. t. cum concordantiis. Respondetur, etiam hæc jura a sacrosanctis canonibus correctæ fuisse, ita, ut licet olim laici esse potuerint iudices in causa hæresis, tamen hodie esse non amplius possunt. Farinacius, loc. cit.

434. *Judices autem ecclesiastici in causa hæresis sunt sequentes. I. Papa.* — Resp. II. In specie autem iudices ecclesiastici in causa hæresis sunt sequentes. I. Summus Pontifex. Omnes; quia ab eo omnis aliorum iudicium jurisdictionis spiritualis descendit, et dependet.

435. *II. Episcopi respectu omnium existentium in sua diocesi.* — II. Quivis episcopus est iudex ordinarius in causa hæresis respectu omnium suorum diocesanorum tam laicorum, quam clericorum, Farinacius, de *Crimine hæresis*, q. 86, § 1, num. 5 et seqq.

Abbas, in c. *Ad abolendam*, 9, h. t. num. 3, et ibi Joan. Andreas, num. 3. Azorius, p. I, lib. VIII, cap. XVIII, q. 2. Pirhing, h. t. num. 124, cum communi aliorum, textus est in Clem., 1, § *Propter quod*. h. t. Ratio est, quia episcopi ex officio vossunt, et debent in suis diocesis extirpare hæreses, consequenter etiam iudicare, quinam sint hæretici, et debitis poenis in eos animadvertere.

436. *Quam propterea etiam visitare debet.* — Imo c. *Excommunicamus*, 13, § *Adjicimus*, h. t. in virtute obedientiæ, et sub poena depositionis strictè mandatur, ut quilibet archiepiscopus, et episcopus per se, aut archidiaconum suum, aut alias honestas, idoneasque personas bis, aut semel in anno propriam parochiam, in qua fama fuerit, hæreticos habitare circumeat: et ibi tres, vel plures boni testimonii viros, vel etiam (si expedire videbitur) totam viciniam jurare compellat; quod si quos ibi hæreticos sciverit, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, seu a communi conversatione fidei vitam et moribus dissidentes, eos episcopo studeat indicare, ipse autem episcopus ad præsentiam suam convocet accusatos: qui nisi se ab objecto reatu purgaverint, vel si post purgationem exhibitam in pristinam fuerint relapsi perfidiam canonice puniantur. Si vero ex eis juramenti religionem obstinatione damnabili respuentes jurare forte noluerint, ex hoc ipso tanquam hæretici puniantur.

437. *Episcopus etiam exemptorum regularium iudex est in causa hæresis.* — Et quidem hæc jurisdictionis episcopi in causa hæresis extenditur etiam in personas exemptas, ita ut has quoque ob hæresin citare, iudicare, et punire valeat, non quidem ut iudex ordinarius, sed ut delegatus Papæ, textu expresso, c. *Ad abolendam*, 9, § fin. h. t. ibi: Si qui vero fuerint a lege diocesana jurisdictionis exempti, soli subiaceant Sedis apostolicæ potestati; nihilominus in his, quæ contra hæreticos instituta, episcoporum subeant iudicium: et eis in hac parte tanquam a Sede apostolica delegatis (non obstantibus libertatis suæ privilegiis) obsequantur.

438. *Nisi obstet consuetudo legitime præscripta ut in Germania.* — Videtur tamen usus et consuetudo (quæ legitime præscripta utique derogat legi ecclesiasticæ, c. fin. de *Consuetud.*) in Germania obtinuisse, quod prælati regulares suos subditos etiam in causa hæresis iudicent, et poenis juris affi-

cient, uti videre est in casibus, quibus regulares apostatæ hæreticam sectam amplexi, denuo revertuntur, et capiuntur: hos siquidem non ab episcopis, sed prælatis suis regularibus iudicari, ac puniri satis in aperto est.

439. *Vicarius generalis sine speciali mandato episcopi non est iudex in causa hæresis.* — Porro quamvis juxta dicta episcopus in causa hæresis sit iudex competens et ordinarius super omnes etiam exemptos diocesanos, tamen potestate iudicandi in hac causa caret vicarius illius generalis, nisi speciale ad id habeat mandatum ab episcopo sibi datum saltem sub clausula generali sequenti, vel simili: Committimus, et concedimus tibi omnia, quæ nos poscimus, etiam illa, quæ speciale mandatum requirunt. Farinacius, de *Hæresi*, q. 186, num. 13. Imola, in Clem. 1, h. t. n. 19. Pirhing, h. t. n. 124. Ratio est, quia ob gravitatem hujus criminis requiritur specialis commissio, ut desumitur ex concilio Trident., sess. 21, de *Reformat.*, cap. VI.

440. *III. Bene vero capitulum sede vacante.* — III. Iudex ordinarius in causa hæresis est etiam capitulum sede vacante (non item vicarius ipsius generalis, nisi specialiter deputetur) ob dicta num. præced. Farinacius, de *Hæresi*, q. 186, num. 177. Hostiensis, in c. *Ad abolendam*, h. t. num. 2 et 4. Barbosa, num. 2. Abbas, n. 1. Pirhing, h. t. n. 125, cum communi aliorum, arg. cit. c. *Ad abolendam*, 9, h. t. ibi; *Vel clerici ipsi sede vacante.* Ratio est, quia Sede vacante transit tota jurisdictionis episcopi in capitulum. Nec refert, sive per mortem episcopi, sive per ejus capturam, vel alio modo Sedes vacet. Farinacius, loc. cit. num. 179, in Glossam in Clem., 1, h. t. §. *Sede vacante*, communiter receptam.

441. *Non tamen respectu exemptorum.* — Exemptos tamen capitulum sede vacante in causa hæresis iudicare nequit. Farinacius, de *Hæresi*, q. 186, num. 182. Abbas, in c. *Ad abolendam*, h. t. num. fin., cum communi aliorum. Ratio est, quia capitulum sede vacante succedit episcopo solum in iis, quæ jure ordinario competunt episcopo, non vero in iis quæ non nisi jure delegato, aut speciali habet, prout amplius diximus lib. III, tit. IX, a num. 42.

442. *IV. Inquisitores fidei.* — IV. Iudex competens in causa hæresis sunt inquisitores fidei in S. officio inquisitionis, de quibus

specialis merito instituitur quæstio, qua: 443. *S. Officium inquisitionis, et inquisitores unde initium, et originem habeant.* — Quæritur II. Quid sit officium inquisitionis? Quid inquisitores? et quæ potestas eorum in causa hæresis. Pro prima et secunda parte quæsitæ, sciendum, quod, cum circa initium sæculi tertii hæresis sub specie pictatis se non tantum insinuaret, sed late diffunderet, ita ut Galliam, Pedemontium, et Lombardiam plurimum inficeret, Innocentius III, Arnoldum abbatem Cisterciensem, et alios ejusdem ordinis et reformationis abbates scientia et virtute præclaros, ad confutandos Albigenis errores destinavit.

Et cum hæreses nihilominus multum grassarentur, ita ut episcoporum, et prælatorum cura, labor, et vigilantia necdum sufficeret ad eas extirpandas, et avertendas, S. Dominicus celeberrimi ordinis Prædicatorum fundator, zelo fidei et animarum apud eundem Pontificem Innocentium III instituit, et obtinuit, ut contra omnes de hæresi insimulatos, suspectos, aut diffamatos verus institueretur processus iudicialis, ad hoc ut dein de hæresi judicialiter confessi, aut convicti severissime punirentur. Atque inde initium sumpsit S. officium inquisitionis contra hæreticam pravitatem, in quo primus inquisitor generalis institutus fuit dictus S. Dominicus, et post illum alii ejusdem ordinis alumni: quibus substituti dein, et alii subordinati fuere alii inquisitores inferiores, et locales in diversis provinciis et diocesis, præsertim Italiæ, et Hispaniæ, ita, ut ibidem in singulis quasi diocesisbus adsit S. officium inquisitionis, et inquisitores contra hæreticam pravitatem, qui omnes hodie subjecti sunt S. Congregationi cardinalium universalis inquisitionis, vel S. officii.

444. *Extat hodie specialis congregatio universalis inquisitionis cui inquisitores omnes subjecti sunt.* — Nam cum dictus Pontifex cerneret, noviter exortas hæreses Lutheranam, et Calvinianam multum serpere, et invalescere, ad eas, et alias hæreses melius coercendas, et ne ulterius diffunderentur, atque ut officium inquisitionis ubique majori cum fructu, et exacte exerceretur, instituit memoratam Congregationem anno 1542, per constitutionem *Licet ab initio*, etc. Cardinalis de Luca, *Relatio Curia Romanæ*, discursu 14, a n. 2. His notatis:

445. *Inquisitores provinciarum, et diocæ-*